

sapimus, quantum iudicio nostro sumus assecuti: quæ verò
solum auctoritate alicujus nititur cognitio, gerit quidem
illa eruditionis speciem, nihil tamen aliud, quam inanem
fugitivam ejus umbram. Nam & majores nostri, licet ἐν-
σοχώτατοι, aliquid ignorarunt; imò, sicut, Tertullianus ait,
lib. de anim. cap. 28., neque veritas desiderat vetustatem, neque
mendacium devitat novellitatem. Vide Senecam in fine Epist.
XXXII.

II. Quod si cujusquam magna fuit auctoritas, ut ra-
tionis instar haberetur, certe Aristotelis sancta penè apud
omnes eruditos fuit, quorum pauci tacitè, nemo directè
per aliquot jam secula ejus se doctrinæ opponere ausus
fuit. Fuit enim omnium ferè ingeniorum compendium,
ut, cujus naturaliter est capax humanum genus, id omne
ei natura infudisse videatur. Ut reliqua taceam, pluri-
mùm eum in Civilibus, sive Politica, sive Ethica species, præ-
stitisse, præclarè, ut omnia, ostendit ὁ πένυ. Conringius
noster in alterâ, quam de laudibus Aristotelis conscripsit,
dissertatione adeò, ut quicquid ante, vel post eum in eâ-
dem materiâ composuerint alij, præ insigni Nicomachi-
co opere ὑβλον καὶ Φήναφλου esse non immeritò dicas. Ju-
stus quoque Lipsius *Manuduct. 1. in Phil. Stoicam dissert. IV.*
invidenda quorundam de Aristotele effata habet, sed mox
aliorum cruda iudicia subjungit, quæ tamen pleraque ni-
hil aliud probant, quam destitutum revelationis libro, ad
percipiendas res divinas caligasse. Qua in re an rectè A-
ristotelem illi reprehendant, ego mei iudicij non facio.
Videantur duo de Pietate Aristotelis in Deum & homines
libri, quos non ita pridem Fortunius Licetus, Vir in Philo-
sophiæ Peripateticæ & sui ævi laudem natus, conscripsit.

III. Licet vero hæc ita sese habeant, licet sum-
mus sit, tamen ἔτι καὶ τῆς ἀληθείας ἀνίης, ut de Homero ait
Plato,